

1261 novembre 12

*Ramon de Gironella, cavaller, fa donació a la seva esposa Agnès de tots els drets que rep a Rupjà, d'un quart del delme de Caldes i dels masos Bofill, Porta i Bou d'aquest darrer lloc.*

ASD núm. 187, còpia de 1262, 405 x 235 mm. Hi ha còpia a ADG Delmes, f. 19rv, amb nota d'haver presentat l'original Berenguera de Trilla, priora de Sant Daniel.

Hoc est translatum fideliter sumptum quod sic incipit. Notum sit cunctis quod ego Raimundus de Gironella miles, per me et per omnes meos, non inductus dolo neque vi, non circumuentus in aliquo, sed bono animo ac spontanea uoluntate cum hac presenti publica scriptura in perpetuum ualitura, gratis inter uiuos dono, laudo firmiterque concedo atque in presenti irreuocabiliter trado siue quasi trado domine Agneti uxori meè licet absenti et suis et cui uel quibus ipsa uoluerit in perpetuum totum honorem meum heremum et condirectum, census, usatica, terremerita, iura, dominia, homines et feminas et omnia alia hic expressa uel non expressa michi quocumque modo pertinencia et pertinere debent infra castrum et uillam de Rupiano et infra omnem adiacencia illam et parrochiam Sancti Uincencii iusdem castri, exceptis feudis et dominiis militum, et hoc sibi dono et suis pro libero et franco alodio. Item amplius per me et per omnes meos eodem modo dono gratis inter uiuos iamdicte uxori mee et suis perpetuo totam quartam partem tocus decime de u.illa et parrochia Sancte Marie et Sancti Stephani de Calidis et de terminis de Franciacho, sicut melius et largius ad me pertinet et pertinere debet, quam Guilielmus Bruni tenebat pro domino de Gerundella, quam ego emi a Guilielma, filia dicti Guilielmi Bruni et a Raimundo de Juiano, uiro suo, et quicquid amplius in dicta decima ultra dictam quartam partem habeo et habere debeo quod consueuit teneri pro domino de Gerundella, illud sibi similiter gratis inter uiuos dono et suis; quam quidem quartam partem tocus decime de Callidis et de Franchacho et illud amplius quod ibi accipio, quod consueuit teneri pro domino de Gerundella, teneo in feudum pro domino episcopo Gerundensi, et quod ipsa de cetero uel sui non teneant dictam decimam pro domino de Gerundella, sed ipsa et sui teneant immediate predictam decimam pro domino episcopo Gerundensi. Item amplius dono prefate uxori mee et suis perpetuo gratis inter uiuos totum mansum meum de Bonofilio et mansum Porta et mansum Bou, qui sunt in terminis et paroecia Sancte Marie et Sancti Stephani de Calidis, sicut melius et plenius ad me pertinent et pertinere debent quocumque modo, uidelicet cum hominibus, feminis, mansis, casis, casalibus, ortis, ortalibus, arboribus-fructiferis, infructiferis, campis, uineis heremis et condirectis, censibus, usaticis, terremeritis, questis, toltis, foriscapiis, dominiis, seruiciis, pascuis, pasturis, aquis, aqualibus, adempriuiis et cum omnibus aliis hic expressis uel non expressis ad dictos mansos pertinentibus et pertinere quoquo modo debentibus, totum integriter ac generaliter cum ingressibus et egressibus suis et cum terminis et pertinentiis et cum omnibus in se habentibus, sicut melius et plenius intelligi uel dici potest ad utilitatem dicte uxoris mee

et suorum; cedendo etiam dicte uxori mee et suis ratione huius donationis omnes acciones et iura quas et que in predictis et pro predictis omnibus et singulis habeo et habere quocumque modo debeo. Constituendo inde eam procuratricem in rem suam contra omnes personas, tradendo etiam sibi cum hoc publico instrumento plenam et corporalem possessionem, tam iuris quam facti et quasi possessionem omnium predictorum me et meos inde penitus denudando et dictam uxorem meam et suos inde prorsus inuestiendo ad omnes suas uoluntates omni tempore faciendas, nullo iure mihi neque meis in predictis retento, et quod ita hec omnia predicta et singula fideliter semper obseruem et quod contra predicta uel aliquid predictorum non ueniam nec ueniri faciam per me uel per aliquam interpositam personam, occulte uel manifeste bona fide et per stipulationem tibi scriptori publico infrascripto nomine dicte uxoris mee promito et etiam per Deum, tactis corporaliter sacrosanctis .IIII.or Euangeliis sponte iuro, per quod iuramentum promito me dictam donationem beneficio ingratitude uel aliquo alio iure siue consuetudine non reuocare nec contra predicta uel aliquid predictorum uenire in iudicio nec extra iudicium, renunciando etiam per uirtutem dicti iuramenti omni iuri diuino et humano quo contrauenire possem. Et ego Symon de Gerundella et ego Guilielmus Raimundí canonicus Gerundensis, fratres dicti Raimundí de Gerundella, hec omnia predicta et singula laudamus, firmamus et approbamus ut dictum est, et ita totum ut in hac carta continetur nos obseruatuos et in nullo contrauenturos ratione successionis, substitutionis nec alio modo bona fide et per stipulationem tibi scriptori publico infrascripto nomine dicte domine Agnetis promittimus et etiam per Deum tactis corporaliter sacrosanctis .IIII.or Euangeliis sponte iuramus, per quod iuramentum renunciamus omni iuri diuino et humano quo contrauenire possemus.

Actum est hoc .II. idus nouembris anno Domini .MCC. sexagesimo primo.

Sig++num Raimundi de Gironela et Simonis et Guilielmi Raimundí, fratrum predictorum, qui hec omnia laudamus et firmamus testesque firmari rogamus. Sig++num Arnaldi de Iuuiiano canonici Gerundensis et Bernardi de Uicco et Raimundi Torrent de Perpiniano, testium rogatorum. Ego Petrus, Dei gratia Gerundensis piscopus, subscribo.

Petrus Caluetus, scriptor publicus Perpiniani, scripsit, et hoc sig+num fecit. Sig(s. man.)num Michaelis de Ulmo, qui .X. kalendas nouembris anno Domini millesimo .CCLX.: secundo hoc fideliter translataui mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bemardus de Uicco, publicus Gerunde notarius et iudex ordinarius domini regis, qui hoc translatum cum autentico manifeste probaui, subscribo.

Hom troba a ADG Delmes, ff. 19v-20, l'escriptura de data l de juny 1261 per la qual Guillema, filla de Guillem Bru, difunt, i el seu marit, Ramon de Juià, venen a Ramon de Gironella el delme que dit Guillem Bru rebia a Caldes i Franciac, pel preu de 4.000 sous de tern, venda que fou firmada per Blanca, filla de Guillem Bru, i el seu marit Pere Alemany, amb els seus fills Pere i Dalmau, i per Agnès, filla de dit Guillem Bru, el seu marit Pere Otger i el seu fill Dalmau.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 392-395